

133

IN ORATIONEM  
SUBSEQUENTEM  
MONITUM  
LUDOVICI ANTONII  
MURATORI.

**G**untharius Archiepiscopus Colonienſis, & Zacharias Episcopus Anagninus, Seculo Chriſti Nono diuturnum negotium faceſſere viſi ſunt Apoſtolicae Sedi. Uterque ſacris interdictus in Romano Concilio ſub Nicolao I. Papa, Anno 863. ſuae praevagationis poenas dedit. Quae eorum facinora fuerint, ſi quis reſcire cupit, tum Anaſtaſium in Vita Nicolai I. tum Baronium adeat in Annalib. Eccleſiaſt. ad praefatum Annum 863. Acta quoque Conciliorum ad ea tempora legat; neque enim in re adeo ſtudioſis Eccleſiaſticae Historiae nota exſpatriari lubet. Nunc ad eorum cauſam uberius dignoſcendam adjungenda & *Oratio Anonymi cujuſdam Episcopi*, habita in Synodo Romana, ut arbitror, Anno 864. quae haecenus lucis uſurâ, quantum quidem novi, caruit. Eam, quum olim Mediolani eſſem, mihi ſuppeditavit perveſtuſtus Ambroſianae Bibliothecae Codex MStus; eamque nunc veluti non contemnendam Eccleſiaſticae eruditionis atque Historiae laciniam profero. Conſtat autem ex Annal. Bertinian. quos habes Tom. II. Collectionis hujus, Anno 864. Ludovicum II. Auguſtum, virum ceteroqui mitem, ſuggeſtionibus Guntharii ad iram adeo fuiſſe concitatum, ut Romam properarit, ibique execranda in Pontificem & Clerum Romanum perpetrari ſiverit. Verum Nicolaus Papa, Eccleſiaſticae diſciplinæ acerrimus tutor, neque precibus, neque minis, neque vi adhibita a priſtina ſententia dimoveri ſe paſſus eſt. Una illius arma fuere *Litaniae*, & *generale jejunium ſibi & Romanis* indiſtum, ut *Deus Apoſolorum ſuffragiis praefato Imperatori mentem bonam, & reverentiam erga divinum cultum, & Apoſolicae Sedis auctoritatem donaret*. Eo etiam tempore, cum in Germania, tum Romae fervebat magna animorum contentione cauſa *Teutbergae Reginae*, quam legitimo antea ſibi matrimonio junctam Lotharius, Lotharii I. Auguſti filius, & Lotharingiae Rex, non ſine bonorum omnium indignatione repudiarat, ut pellicem Waldradam in ſuum thalamum ſuperinduceret. Appellaverat autem Teutberga ad Apoſtolicam Sedem. Ludovicus II. tunc Imperator, Lotharii fratris ſui veſano affectui patrocinium praefans, ea etiam de cauſa in Nicolaum Pontificem exarſerat, quod Theutgaudum Trevirenſem, & ſupra memoratum Guntharium Colonienſem Archiepiſcopos, Lotharii Legatos, reos videlicet proteſti impij facinoris compertos, excommunicatione percutiens, e gradu ſuo deſecerat.

Ea igitur occasione, hoc eſt Anno 864. veri mihi videtur ſimile, emerſiſſe in Concilio Romano Orationem, ſive Allocutionem, quam nunc publici juris facio. Heic enim de *Teutbergae Reginae* negotio agitur, quae etiam olim ad hanc Sedem Apoſtolicam veniſſe dicitur. Agitur de propoſita reſtitutione Guntharii, Theutgaudi, & Zachariae, qui non ſolum correptionem ſuam nequaquam oſtendunt, & delicta ſua, quae etiam terras, ut fertur, occupant, non conſitentur, verum etiam, ſicut multorum relatio & ſcripta teſtantur, veſitum ſibi officium quidam horum (ideſt Guntharius) uſurpare reſertur. Et proſecto in Annalib. Bertinianis ad eundem Annum 864. Ludovico II. Imperatore jubente ex Urbe Guntharius recedens, & Coloniam veniens, Miſſas celebrare, & ſacrum Chriſma conſicere, ut homo ſine Deo, praefumſit. Inſuper petit Sermonis hujus Auctor, ut ſuggeratur piſſimo noſtro Imperatori, Deique cultori, & Eccleſiae Chriſti tutori, ut ſicut progenitores Chriſtianiſſimi & Orthodoxi Imperatores fuere, & ipſe illorum veſtigium ſequens, Chriſti Eccleſiae honorem ampliavit & decus; ita Romanam Eccleſiam, caput omnium, cujus eſt deſenſor & Advocator, deſendat, exaltet &c. & ſolicite perſcrutari debeat, qui ſint illi, qui lucra corporum, an qui penitus lucra animarum quaerant &c. Haec omnia eo nos deducunt, ut intelligamus, ad nullum Annum juſtius, quam ad 864. referendam eſſe hanc Orationem, quam Lectori tandem liſto.